

1.
2
3
4
5
6
7
8
9



1673.

1. Beckmann, Joh. Volk: De lubrico aetatis.
- 2^a Beckman, Joh. Volk: De poena et jure ebraeorum.
2 exempl. 1673 & 1737.
- 3^a Beckmann, Joh. Volk: De eo, quod justum est circa
optionem minoris haereditis. 2 exempl. 1673 & 1749.
4. Beckmann, Joh. Volk: Ubi fides non servanda.
5. Beckmann, Joh. Volk: De eo, quod circa dies
justum est.
6. Beierus, Adrianus: De arcanis partium.
7. Falckner, Johann Christoph: De antiquo et moderno
adoptionum jure et statu.
8. Falckner, Johann Christoph: De re integra.
9. Falckner, Joh. Christophorus: De chirographo
praecipue vero eo, quod per vim extortum esse
dicitur. et l. 2. P. de his, quae vi metusue causa
gesta sunt.

1673.

10. Fulchner, Johann Christoph? Iura convivorum
11. Linck, Henricus: De exoneratione conscientiae
- 12^{a et 2} Linck, Henricus: De subsidio patris
2 Exempl. 1673 u. 1709.
13. Linck, Henricus: De anatocismo occasione
128 p. de usuris illustrato.
- 14^{a et 2} Linck, Henricus: Iura finium 2 Exempl.
1673 u. 1693.
- 15^a Linck, Henricus: De usu testamentorum morali,
civilis, canonico et feudali.
- 16^{a et 2} Linck, Henricus: De indicatione Romana
Vox Römischer Zinszahl. 2 Exempl. 1673 u. 1744.

178

Handwritten text, possibly a title or header, mostly illegible due to fading.

Handwritten text, possibly a date or location, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or table header, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or table header, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or table header, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or table header, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or table header, mostly illegible.

Handwritten text, possibly a list or table header, mostly illegible.

ae


d.

,

a

44





1673,9 32.

2. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

CHIROGRAPHO,

Præcipuè verò Eo, quod per vim
extortum esse dicitur.

Ad L. 2. C. de his qua vi metusve causa gesta sunt
Quam

Benevolo Magnifici Jctorum Ordinis indultu

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. JOH. CHRISTOPHORO

Falckner / J.U.D. & Prof. Publ. in hac Salana

celeberrimo, Consiliario Saxonico, Curia

Provincialis, Scabinatûs & Facultatis

Juridicæ Assessore gravissimo,

Domino, Patrono, Promotore ac Præceptore suo omni ho-

noris & observantiæ cultu etatem prosequendo,

Publico Eruditorum examini submittit

BODO HENRICUS *Niecken*

Osteroda-Grubenhagiacus

AUCTOR.

Ad diem Febr. M DC. LXXIII.



JENÆ,

Typis JOHANNIS NISI.



Serenissimo ac Celsissimo Principi ac Domino
DOMINO JOHANNI FRIDERICO,
Duci Brunsv. ac Luneb. Domino meocle-
mentissimo, à Regimine & Consiliis.

V I R I S

Magnificis, Pranobilissimis, Consultissimis atq; Excellentissimis,

DN. OTTONI JOHANNI
Witten / Consiliario Intimo & Vice-Can-
cellario eminentissimo,

DN. ERNESTO CHRISTIANO
Wedemann /

&

DN. JOHANNI Buntingen /
Jctis celeberrimis, Consiliariis Aulicis gravissimis,

UT ET

V I R O

Amplissimo, Clarissimo atq; Spectatissimo

DN. JACOBO Mecken / Præfecto

non ita pridem Scharzfeldensi dexterrimo, meritissimo,


*Dominis, Patronis, Promotoribus, Cognatis & respectivè Pa-
renti suis submissè venerandis*

Has qualescunque studiorum primitias

In perpetuæ observantia monumentum

consecrat

AUCTOR.



I. N. J.

PROE MI U M.



Quod maxima hominum pars in ultima hac mundi fece nulli rei magis operam det, quàm ut proximo, quacunq; potest viâ, insidias struat, ipsumque funditus perdat, nemo est qui negat. Unde verissimè dixit Comicus ille: Hominem homini lupum, non Deum esse: Quibus enim in locis, ut alia grandiora facta taceam, hodiè celebratur contractus, ubi alter alterum non defraudare, ipsumque argento emungere, cogitat, unicè ad hoc intentus, ut suos loculos reddat pingves, suaque bona augeat. Sumamus e. gr. mutuum sive contractum mutui, quando videlicet quis ab altero in casu necessitatis & indigentiae pecuniam accipit mutuan, ut illam pro libitu in suam rem impendat, postea verò eandem creditori restituat: Quæ hæc est benevolentia? quod beneficium? & tamen inveniuntur, qui pudore seposito hoc amicitiae officium ingrato animo compensant, vel negando totum debitum, vel perhibendo se creditori restituisse illam pecuniam, cum tamen creditor nihil minus, quàm restitutionem sive solutionem viderit. Huic malo remedium quæsiuere LL. civiles, ut scilicet accipiens scripturam se debere fateatur, ut ipso fortè negante sit, unde debitum probari possit. Sed hominum astutia etiam in hoc Legum bonitatem æquitatemque superat, dum, nescio quo jure, confessionem hanc alteri subtrahere, aut etiam lite-

A 2

ras

ras hujusmodi sibi parare, debitoremque hoc modo sibi acquirere sciant: Hos inter homines scelestos non ultimum tenent locum, qui literas hasce ab aliis per vim extorquent, metumque ipsis incutiendo, si nolint; & quæ alia astutiæ, vel potius nequitiae genera supersunt. De hisce literis confessorijs, ut ita loquar, per vim extortis opusculum hoc concipere, & quid juris circa eas obtineat pro mea tenuitate delineare animum induxi. Ne verò illotis manibus rem hanc aggredi, mori; consueto aliquid detrahere videar, operæ pretium me esse facturum, arbitror, si ab ovo, quod ajunt, ordiar, & generalia quædam, antequam ad specialia progressum faciam, præmittam, ut illis cognitis, & hæc eò melius cognoscantur.

THESIS I.

Synonymia.

INitium itaque facio de harum literarum Appellatione. Vocantur autem Chirographum, sive Idiochirum. *l. 11. C. qui pot. in pignore hab.* Germanicè *eine Handschrift Befold. tb. Pract. item, Brieff und Siegel: Schriftliche Versicherung.*

TH. II.

Etymologia.

Derivatur Chirographum à græco *χειρ*, manus, & *γράφω*, scribo, quasi manu scriptum; Idiochirum ab *ιδιό*, proprius, & *χειρ*, manus, quasi propria manus; quia plerumque propria manu scribitur, vel saltem subscribitur.

TH. III.

Homonymia.

Et sumitur dupliciter, 1. pro papyro vel scripturâ in se & simpliciter spectatâ; quo modo quamcunque scripturam, de quacunque re etiam illa sit concepta, Chirographum vocare possum. 2. pro juribus & actionibus, quæ ex illis probantur; in quâ posteriori significatione & hîc accipitur.

TH. IV.

Definitio.

Hinc definitur à Dd. quod sint literæ de debitis & creditis securitatis causâ conscriptæ, *Magnif. Dn. Struv. Ex. 28. §. 23. ad ff.*

ff.



ff. vel: quod sit privata cautio, manu alicujus vel scripta, vel subscripta. Igitur ex hoc contractu solâ scripturâ sive literis quis obligatur ad eam pecuniæ quantitatem solvendam, quam sibi numeratam esse literis istis confessus est. §. *un. Inst. de lit. obligation.* ibique Schneidevv. *num. 2.* Mysing. *num. 4.* Duaren. *ad tit. C. de nonnum. pecun. in pr. Donell. lib. 14. comm. c. 37.*

TH. V.

Est autem hoc Chirographum duplex: Obligatorium & Liberatorium. Illud dividitur in Chirographum in specie sic dictum, Syngrapham, & Antapocham. Chirographum in specie sic dictum est, quo debitor sibi creditum fatetur, exemplum habemus in *l. 40. pr. ff. de Reb. cred. vel: Est scriptura, qua quis fatetur se debere. Magnif. Dn. Strauch. Dissert. 14. apb. 20. ubi agit de verb. oblig.* Syngrapha, quæ inter paciscentes in rei fidem conscribitur; differt ab illo in hoc, quod hæc plerumque utriusque manu conscribi, & utriusque parti tradi soleat, unde etiam nomen sortitur, & Latinis dicitur conscriptio. Antapocha est, quæ debitor fatetur se annuas præstationes solvisse, & suum prædium pensioni esse obnoxium; vel est professio pecuniæ solutæ, quæ datur creditori à debitore. Molinæus *de Usur. q. 20. n. 208.* definit Antapocham, quod sit instrumentum solutionis, censuale probans debitum in futurum. Est ea utilis creditori ad probandas annuas præstationes, & impediendam præscriptionem. Goth. *ad l. 1. C. de fide Instrum. vid. l. 19. C. eod.*

Divisio in obligat. & Liberat. Obligat. tres species: Chirograph. in specie dictum.

Antapochas.

TH. VI.

Sequitur Liberatorium, quale est Apocha; quæ debitor sibi à debitore solutum esse fatetur. Vocatur vulgò Qvitantia, Germ. *eine Quittung* / & est duplex: particularis & plenaria: Hæc est, quando creditor debitorem totam sive

Liberatorium.

A 3

univer-

universam pecuniæ creditæ, vel usurarum ex sorte debitarum, summam solvisse fatetur. Ex quibus facilè cuivis patet, quid sit particularis, videlicet, quando saltem pars debiti soluta esse dicitur. Apochâ igitur nihil aliud contestamur, quàm quod solutum aliquid nobis sit, adeoque sibilo explo-
denda est insania vel potiùs malitia eorum, qui ex apochis mutuum elicere volunt: Etenim hoc modo etiam Creditori-
bus periculosum esset apochâ dare debitoribus solventibus.

TH. VII.

Fluit igitur hinc, ad quodvis Chirographum, (id quod etiam ipsa vocis significatio ostendit,) requiri scripturam, & scribitur quidem vel ab unâ tantum parte unaque personâ, vel diversis personis, ita tamen ut altera alterius nomine subscribat; vel ab utraque contrahentium parte, quod posterius fit, si nimirum alter ipsum Chirographum conscribat, alter saltem suo nomine sigillet vel subscribat, & hac signatione & subscriptione ipsum contractum, qui in literis istis continetur, confirmet.

TH. IIX.

Sed cùm scriptura hæc regulariter probet contra scribentem, & scribens ex eâ, nisi contrarium probari possit, condemnetur, iudex autem non certò scire semper possit, an scriptura sit illius, cum quo lis est, nisi vel literas ipsius norit, vel ipse se scribentem esse fateatur; sæpeque etiam accedat, ut quis manum suam propriam dolo malo neget, putans se hoc modo à debiti solutione iri liberatum, ideò necesse est, ut de eâ actor probet. Quæ probatio fit vel (1.) per legitimam recognitionem, *Carpz. proc. tit. 4. art. 1. 2. 3.* vel (2.) per comparisonem literarum, *l. 20. C. de fide instrum.* quando scilicet literæ vel Instrumentum ab eodem scriptum proferruntur, & cum illis de quibus dubitatur, comparantur. Quia verò manus alienas imitari quandoq; non adeò difficile est,
ut

*Scriptura
probatio.*

ut propterea Vall. ad *t. de probat. & presunt. §. 2. n. 4.* hanc
comparationem inter probationes insufficientes & semi-
plenas retulerit, fieri debet comparatio illa 1. à viris in col-
lationis genere probatis & in arte scribendi peritis. 2. Ex
aliis instrumentis indubitatis, Brunnem. *in not. ad l. 20. C. de*
fide Instrum. Qualia instrumenta sunt, quæ trium testium
subscriptione vel sigillatione sunt munita *l. 20. C. d. l.* & quæ
ex Archivis publicis sunt producta; quæ vocantur forensia
vel publica instrumenta *d. l. 20. eod.* vid Magnif. Dn. Strauch.
Diff. Instit. 25. §. 20. Ex eâ verò scripturâ, quam quis in ju-
dicio jussu judicis scripsit, non fieri comparisonem, putat
Bart. Sed Bl. contrarium tenet, eumque etiam omnes fermè
Dd. sequuntur. vid. Sichard. *ad l. 20. C. de fid. Instrum. n. 7. in*
med. Et Sal. Br. defendens dicit, lecturam Bartoli à sciolo
quòdam esse corruptam. Priusquam autem comparaturi
ad comparisonem admittantur, debent jurare, quod neque
lucris causâ, neque ex inimicitia, neque gratiâ hoc faci-
ant *d. l. 20. C. de fide Instrum.* & quod alias probationes non
habeant, uti colligitur ex *Nov. 73. c. 7.* Sed hoc juramentum
non sufficit; est enim saltem juramentum calumniæ, quod
hoc in casu nihil probat; unde necesse est, ut etiam tam
comparans, quàm scribens, vel is, cujus scriptura compara-
tur, juret. Sichard. *ad d. l. 20. C. de fide instrum. n. 4. & 5. (3.)*
Denique fit probatio per testes, qui scriptioni adfuerunt,
Carpzov. in *Jurispr. Forens. p. 1. Constit. 27. d. 14.* qui non
tantum deponunt, quod viderint alterum scribere, sed quod
contenta sint eadem, quæ scriptura illa, cujus scriptioni se
interfuisse testantur, comprehenderit. Zas. *lib. 2. Consil. 5. n. 25.*
in fin.

TH. IX.

Pœna dolosæ hujus inficiationis, si scil. mendacii quis ^{Pœna nea}
convincatur, est duplum, Auth. *contra qui propriam. C. de* ^{gantis.}
non



non num. pec. cum qua convenit *Nov. 18. c. 8.* Datur hoc a-
ctori vel vincenti *l. 16. C. de fide instrum.* quod est verum, si in
negatione debitor persistat; secus verò si debitum fateatur
& manum agnoscat, id quod fieri potest, si debitori juramen-
tum deferatur, & tum distinguit ipsa *Nov. 18. c. 8.* inter tem-
pora, & dicit, negantem liberum esse à pœna dupli, si mox
ab initio post abnegationem detulerit adversarius juramen-
tum, & ille continuò fuerit confessus, quod antea negaverat;
si verò per longius tempus in negatione perseveret, & tunc
demum ipsi deferatur juramentum, absolvi quidem eum,
etiam à pœna dupli, sed tamen in expensas, quas alter in pro-
bando consumsit, condemnari.

TH. X.

*Solennita-
tes in con-
tractu mu-
tui adbi-
benda de
jure No-
vell.*

Obiter hîc nota, illud, quod supra *Th. 8. in fin.* dixi, pro-
bationem fieri posse per testes, procedere de jure Novella-
rum; utpote de quo mutuum non firmiter contrahitur per
solum instrumentum, sed tres fide digni testes requiruntur,
qui suis subscriptionibus & subsignationibus, vel, si sine scri-
pto contractus initur, præsentiæ allegatione testentur, *Nov.*
73. c. 2. l. 20. C. de fide instrum. Et hunc numerum ternari-
um sufficere putant Dd. si contractum fuerit inter literarum
peritos; secus verò si inter imperitos: hoc enim posteriori
casu adhibendum putant Tabularium, modò haberi possit,
& quinque testes, atque ex his unum pro illiterato scribere
debere *d. Nov. c. 8.* si scilicet contractus excedat libram auri
d. Nov. c. 9. Auth. Sed novo jure. C. si cert. pet. quæ libra auri
continet 72. solidos *l. 5. C. de suscept.* Et hæc ita se habent in
civitatibus; Quodsi verò ruri contractus celebretur, tanta
solennitas non requiritur propter rusticorum simplicita-
tem, & scribentium aut testium inopiam. *Nov. 73. c. 9. & d.*

*Consuetu-
do hodi-
erna.*

Auth in fin. At hæc solennitates moribus nostris sunt subla-
tæ, & planè inauditæ, quod attinet instrumenta privata: nulla
enim



enim in his vel testium praesentia, vel eorum subscriptio aut subsignatio, quamvis contractus librae auri aestimationem superet, Gudelin. lib. 4. c. 11. n. 22. requiritur, sed sufficit si de-
itum per instrumentum obligationis probari possit.

TH. XI.

Accedunt plerumque huic Chirographo pro majori cautela hypothecae vel fidejussores. De fidejussoribus quando & qualiter teneantur vel conveniri debeant, paulo post dicam. De hypothecis interim pauca tradam, & videbo quodnam jus in illis habeat creditor, an scilicet pleno jure possessionis transferantur res hypothecatae, ita ut usumfructum earum habeat, & fructus in ipsis natos percipiat; an vero saltem jus aliquod in re habeat, nullam vero utilitatem inde sentiat? Et breviter, ne multa aliena & ad scopum vel parum vel nihil facientia immiscere, chartamque illis implere videar, dico, in debitoris voluntate & bene placito positum esse, an velit creditori usumfructum concedere, nec ne? ita ut priori casu habeat usumfructum creditor loco usurarum, modo non excedant quantitatem jure permissam, alioquin excessus computabitur in sortem, nisi excessus ille sit admodum levis & exiguus. Posteriori vero casu, quando nimirum debitor in Chirographo saltem alicujus rei mentionem fecerit, & creditori jus in ea concesserit, sine translatione tamen possessionis realis, usumfructum creditor quidem non habeat, neque tamen res sic quasi hypothecata sine ipsius praesentia & consensu valide alienari possit.

TH. XII.

Restat, ut de fidejussoribus aliquid addam. Sunt autem Fidejussores, qui in suam fidem alienam obligationem suscipiunt, principali nihilominus manente obligato. Tenentur hi aequè ut principalis ad omne id, quod à principali in contractum, ad quem fidejusso-

*Accedunt
huic con-
tractui.
Hypothecae &*

*Fidejusso-
res.
Eorum
definit.
Ad quid
teneantur*

B

res

Eorum
beneficia

res accesserunt, deductum est; non verò in durio-
rem se obligare possunt, quamvis in levio-
rem possint; ut in partem pecuniæ, vel sub
conditione §. 5. *Inst. de Fidejuss. l. 8. §. 7. & l. 9. ff. de Fidejuss. & Mandat.* Hinc quamvis olim
fidejussor ante principalem conveniri potuerit, *l. 3. & 5. C. de fidejuss.* (quod jus etiamnum
sequitur in clyta Respubl. Norica in Reform. *tit. 19. l. 1.* teste Ludvvel. *Ex. 12. §. 8. lit. c. ad Inst.*)
hodiè tamen debet regulariter principalis prius conveniri: Habet enim fidejussor tria beneficia & remedia, quibus se-
tueri potest; nempe (1.) Beneficium ordinis sive excussio-
nis. *Auth. presente. C. de fidejuss. (2.) Divisionis §. 4. Inst. de fidejuss. (3.) Cedendarum actionum. l. 17. ff. eod.* Sed de his
Fidejussorum beneficiis jam non est dicendi locus, quin po-
tius ad materiæ nostræ tractationem progredimur.

TH. XIII.

Quid contractus Chirographarius sive Chirographi-
um sit, supra ex Th. IV. sufficienter, ut spero, constat. Ope-
ratur autem Chirographum paratam executionem, & tene-
ri facit scribentem ad id, quod in Chirographo se debere est
confessus, idque ipso jure. Potest itaque creditor hic Chi-
rographarius, vel ille cui Chirographum datum est, scriben-
tem ex illo convenire ad solvendum id, ad quod se obli-
gavit. Nihil autem hîc refert quoad ipsum contractum seu
ejus essentiam, an quis acceperit rem literis expressam, an
non acceperit. §. *un. verb. scriptura obligetur. I. de liter. obligat.*
Sufficit enim, quod scribens debitum ipse agnoverit, seqve
debitorem confessus fuerit, ex qua confessione creditor suf-
ficienter contra Chirographarium hunc debitorem actio-
nem instituire, suamq; intentionem probare potest, & da-
mnatur scribens ad solvendum.

TH. XIV.

Quæritur hîc, quid juris, si creditor Chirographum
hoc

hoc amiserit, an nihilominus possit repetere rem alteri mutuo datam? Et non est dubium quin possit, si modo manifestis probationibus apparuerit, alterum esse debitorem *l. 1. C. de fid. Instr.* & quod debebat, nondum solvisse. Commodè autem hac distinctione controversia hæc expediri potest: Aut enim contractui interfuere testes, hiquè de mutuo deponunt suum testimonium, & ipsis omninò fides, modò fide digni sint, habenda est. *l. 2. ff. de testib. l. 18. C. eod.* Aut non interfuere, & tunc defertur debitori juramentum, quod est ultimum refugium, & finis dirimendarum litium: Et hoc posterius est verum, si debitum aliunde non possit probari. Debet porro creditor amissionem hanc probare, quod fieri itidem potest vel per testes, vel per juramentum. *Hahn. ad Wesenbec. 2. de fide Instr. arg. l. 8. C. de test. & l. fin. C. de fide instr.* Sed *Gail. 2. obs. 37. n. 1.* eam solo creditoris juramento probari dicit, & quidem ita, quod non sua voluntate, sed casu quodam sit deperditum. Quomodo Authentici tenor sit probandus, vid. ap. *Hahn. l. c.*

TH. XV.

Quæritur ulterius, si creditor Chirographum reddat debitori, an præsumatur ipsum liberâsse à debito? Et Respondent Dd. quod ex hac redditione voluntas debitum remittendi præsumatur, seu quod inter eos de non petendo tacitè videatur conventum. *l. 2. §. 1. ff. de pact. l. 7. C. de distract. pign. l. 3. §. 1. ff. de lib. leg. l. 59. de leg. 3.* Potest itaq; debitor sic conventus opponere exceptionem conventionis sive pacti conventi de non petendo *d. l. 2. §. 1. ff. de pact.*

TH. XVI.

Notanter verò dicunt, quod præsumatur: nam si contrarium certis & manifestis probationibus à creditore demonstrari possit, *l. 24. ff. de prob. & præsumt.* aut aliqua prægnans conjectura diversum suadeat, aut plura authentica sive ori-

ginalia de eodem debito creditor secum habeat, tunc non ita
conventum videtur, uti vult Magnif. Dn. Struv. *Ex 6. 0. 34. de
pact.* Castrenf. *ad l. 2. de pact. arg. l. fin. de bis, qua in testam. del.*
quamvis Schnob. *Disp. 2. §. 24. ad d. t. cum Jas. ad d. l. 2. ff. de
pact.* contrarium teneat. Idem dicendum est de Chirogra-
pho cancellato aut scisso *l. 24. ff. de probat.* Qui enim aliquam
scripturam delet aut dilacerat, vim ipsi & efficaciam adime-
re videtur. Debet autem reddi, cancellari aut scindi ab ipso
creditore, vel etiam ab alio, ipsius tamen mandato & volun-
tate, si quis hac exceptione uti velit.

TH. XVII.

Quod si duo vel plures in uno Chirographo correi sese
obligaverint, uni autem eorum illud Chirographum sit red-
ditum, utriq; id prodesse putat Castrenf. *in d. l. 2. ff. de pact.* At
contrarium utpote rationi magis consentaneum defendit
Magnif. Dn. Struv. *Ex 6. 0. 34.* dicens: illi soli, cui redditum
est, ex tacito pacto exceptionem competere, hancque, sen-
tentiam probat *arg. l. 2. §. 1. ff. de pact. l. 17. §. 4. eod. l. 38. §. 17. de
V. O.* Nam quia totum debitum & uterq; obligans in eo con-
tinentur, atque de animo creditoris, utrum totum debitum
in scriptura expressum illi, cui Chirographum reddidit, re-
mittere vel donare; an verò saltim partem, quam ipse debet,
remittere, residuum verò sibi reservare, an verò denique o-
mnes in hac scriptura obligatos liberare voluerit, certò non
constat, ideò necessum esse videtur, ut creditor suum ani-
mam declaret atq; explicet.

TH. XVIII.

Haftenus jura actori sive creditori ex Chirographo com-
petentia aliquo modo delineavi, restat, ut pauca de debito-
Debitoris ribus eorumque remediis addam, quod, quam brevissimè
remedia. poterit, fiet.

TH. XIX.

TH. XIX.

Dixi autem supra *Tb. 13.* scribentem ex suâ scripturâ alteri datâ ipso jure obligari, & nihil referre, an pecuniam vel rem, quam se debere confessus est, acceperit, an non? Cùm verò maximè iniquum sit, ut quis cum alterius damno locupletetur, *l. 206. de R. j.* ideò jura etiam se obliganti consulerent voluerunt exceptione quadam contra creditorem, quæ vocatur exceptio non numeratæ pecuniæ; quando sc. debitor fatetur, se quidem Chirographum creditori simulato, vel pro creditore se gerenti spe futuræ numerationis dedisse, inq̄ve eo debitum agnoscendo se ad restituendum obligasse, nihil tamen ab illo accepisse *§. 1. J. de Except. t. t. C. de Non num. pec.* Sapius enim fit, ut quis æris egens ab altero pecuniam mutuam sibi dari petat; mutuaturus verò majoris securitatis causâ Chirographum poscat, neque tamen pecuniam, antequam ipsi illa obligatio detur, se vere velit; Alter necessitate coactus spe futuræ numerationis Chirographariam obligationem dat sperato creditori, hic eam capit, nihil verò solvit. Ex hoc Chirographo obligatur, ut dixi, scribens, vel cujus voluntate scriptum est, sed potest opponere dictam exceptionem, & ita, si vincat, se ab obligatione liberare:

TH. XX.

Neque verò solùm agenti ex Chirographo hæc opponi potest exceptio, sed ipse etiam debitor actionem instituere potest, & conq̄veri de pecuniâ non numeratâ. *l. 7. l. 8. l. 14. C. de Non num. pec.* Tempus, quod debitori à jure ad actionem hanc prosequendam, eamq̄ve exceptionem opponendam conceditur, est biennium continuum, *§. un. Inst. de liter. oblig. in fin. l. 14. C. de Non num. pec.* quod tempus à die dati Chirographi computatur. Et ultra hoc tempus minimè extenditur actio hæc vel exceptio, *d. §. un. Inst. d. t.* non enim præsu-

mitur scribens tam negligens esse, ut intra hoc spatium Chi-
rographum, si nihil ipsi sit solutum vel mutuatum, non repe-
tat, vel numerationem sibi fieri faciat; sibi itaque imputet,
quod tamdiu moratus fuerit, & non admittitur postea ad
probationem contrarii, etiamsi velit; quod verum est de ju-
re, & nisi creditor in culpa sit & cunctetur, ut spatium hoc e-
labatur. Sed Dd. æquitatem adspicientes dicunt, huic exce-
ptioni non numeratæ pecuniæ locum esse etiam elapso bien-
nio, cum hac tamen distinctione, ut, si intra statutum tempus
exceptio hæc opponatur, vel debitor de non numerato que-
ratur, creditor numerationem esse factam probare teneatur,
l. 3. l. 10. C. de Non num. pec. Si vero illo præterlapso (sed non,
quod dixi, culpa creditoris) debitor, vel ex Chirographo ob-
ligatus, si scilicet paratus sit in continenti suam intentionem
probare. Sin autem altioris sit indaginis, solvere quidem
debet conventus, salvam tamen retinet reconventionem. Et
ita etiam in praxi observatur, uti testatur Carpz. *p. 1. c. 32. d.*
66. & L. 2. Respons. 91. Minores & similes contra lapsum hu-
jus biennii habent restitutionem in integrum, *l. 5. C. In quib.*
caus. in integr. Add. Harppr. *in §. unic. Inst. d. lit. oblig. num. 12.*
& seqq. & quos ibidem longâ serie allegat.

TH. XXI.

*Exceptio
non num.
pec. cessat.*

Cessat autem hæc exceptio (1.) si denuò quis agnoscat
debitum, quod sit vel solutione portionis sortis aut usura-
rum, *l. 4. C. de Non num. pec.* tum enim solvens hac exceptio-
ne uti nequit, ne quidem pro parte non soluta, Brunne-
man. *ad d. l. 4. C. de Non num. pec.* videatur etiam Perez. *ad C. tit.*
de Non num. pec. n. 17. (2.) Si debitor huic exceptioni iteratò
& ex intervallo renunciaverit, quam sententiam Dd. com-
muniter comprobant Brunnem. *ad L. 4. in fin. C. de Non num.*
pecun. Zanger. *de Except. p. 3. c. 14. num. 74.* ubi cum Felin. *cap.*
si cautio. num. 49. de fide Instr. & Jos. Mascard. *in tractat. de*
pro-

probat. vol. 2. conclus. 695. num. 6. ubi dicit: magis esse, ut re-
nunciatio hæc non quidem excludat exceptionem, sed gra-
vet debitorem onere probandi; & hæc sententia magis vide-
tur esse æqua; non video enim, quare ob hanc iteratam re-
nunciationem quis condemnari debeat, cum ipsi sit, unde
contrarium, nihil nimirum se accepisse, satis probare possit.
Accedit, quod dolus creditoris hinc versari videatur, & debi-
tor eadem facilitate ac necessitate, quâ primò renunciavit,
etiam secundò renunciasse præsumatur.

TH. XXII.

Renunciatio autem illa, quæ ab initio contractus &
simpliciter fit, hanc exceptionem non excludit, prout con-
cludunt omnes Dd., quia eadem facilitate quis renunciat,
quâ futuræ numerationis spe se mutuam pecuniam accepisse
fateretur. Sed quid si jurato renunciaverit? Nihil hic jura-
mentum obstare putant Dd. quamvis Zang. part. 3. c. 14. num.
73. de Except. cum Br. & aliis contrariam foveat sententiam,
probantes suam assertionem ex l. fin. C. de Non num. pec. it. arg.
c. Quemadmodum si vir. x. de jurejur. Perez. num. 20. C. de
Non num. pec. ubi rationem addit hanc, quod Juramentum
sequatur naturam actus, cui apponitur, eandemque habeat
conditionem, quæ obligationi inest principali: Cum itaque
hæc sit conditio in nostro casu; si id, quod est promissum, im-
pleatur & pecunia numeretur; hæc autem conditio cesset,
ideò etiam nullam vim hoc juramentum sortiatur, sed pro
non adjecto habeatur.

TH. XXIII.

Denique etiam de pœnâ sic excipientis numerationem-
que negantis, quando sc. contrarium à creditore demonstra-
ri & probari potest, quæritur, quæ pœna à jure in falsò excipi-
entem statuta sit? Et respondetur, eandem esse quæ negantis,
videlicet duplum. *auth. contra qui propriam. C. de Non num.*

*Pœna so-
lutionem
negantis.
pec.*

pec. Quæ tamen pœna hodiè vix obtinet ; pro arbitrio tamen
Judicis debitor talis puniri debet *Struv. Ex. 16. lb. 49.* aded
ut pro ratione delicti, multa sapius duplum egrediatur. *Pe-*
rez. l. c. n. 21.

TH. XXIV.

Et hæc sufficient de Chirographo ex causa mutui dato.
Quibus præmissis nunc tandem aggredior istud Chirogra-
phum , ob quod præcipuè hunc suscepi laborem, istud in-
quam, quod per vim extortum est : Potest autem hoc ita de-
scribi, quod sint literæ, in quibus quis, vi vel metu sibi ab alte-
ro illato inductus, alicui aliquid promittit, seque promississe
adeoq; debere literis istis fatetur.

*Chirogr.
per vim
extortit
descr.*

TH. XXV.

Circa hoc Chirographum vel hanc scripturam quæri-
tur, an æquè obliget scribentem, atque illud, de quo hæctenus
dixi ? Et Respondet Hugo Grot. *lib. 2. c. 11. §. 7. de I. B. & P.*
eum, qui metu aliquid promittit, obligari, quia videlicet pro-
mittentis consensus adfuit absolutus, non conditionalis, in
hoc enim rerum statu aliter nõ vult, sed absolutè hoc eligit.

TH. XXVI.

Verùm distingvendum hic potius videtur inter con-
sensum absolutum, & absolutè liberum. In nostro casu con-
sensus est absolutus, quod dixi, non verò absolutè liber ; est
enim involuntaria hæc actio ratione principii externi co-
gentis & objecti in se considerati, quod remotis his circum-
stantiis voluntas neutiqvam appeteret ; est tamen volunta-
ria ratione finis, & principii interni : Finis enim metum vel
vim patientis est majoris mali evitatio ; Principium inter-
num est voluntas deliberans, utrum pati vim, an verò se ob-
ligare melius sit. Cum itaque metum passo magis placeat
promittere & solvere pecuniam, quàm vitam amittere, ideò,
cum aliâ viâ hoc mortis periculum evitare non possit, eligit
inter

inter duo hæc mala minimum, solutionem scilicet pecuniæ,
& ita simpliciter & absolutè consentit. Qui consensus ab-
solutus in promittente parit obligationem, & hîc nihil re-
fert, an metus sit illatus justè an injustè, ab eo, cui promitti-
tur, vel ab alio. Grotius de J. B. & P. lib. 3. cap. 19. §. 9.

TH. XXVII.

At qualis hæc sit obligatio, nunc quæritur? Naturalis
tantum, an verò naturalis & civilis simul? & affirmatur po-
sterius: Naturalis enim est propter consensum in contrahen-
do à promittente adhibitum, quem dirimere est contra natu-
ralem æquitatem & rationem, ut quæ suadet pacta & conven-
tiones servare, nec fallere fidem. Nihil enim tam fidei hu-
manæ congruit, quàm ea, quæ placuerunt custodire. *l. 1. ff. de
pact. l. 20. C. de transact.* Civilis verò est propter expressa
verba §. 1. *J. de Except.* verba hæc sunt: Si metu coactus &c.
stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere,
palàm, est jure civili te esse obligatum, & actio qua intendi-
tur, dare te oportere, est efficax. Ex quibus patet, non so-
lùm obligari promittentem per metum ipso jure, sed etiam
actionem contra eum posse institui, si non solvat, quod pro-
misit. Non obst. *l. 1. ff. quod met. caus. l. 22. b. t. l. 14. §. 3. &
13. b. t. l. 1. C. de rescind. vend. l. 116. de R. I. l. 2. de vi bon. rapt.
& Auth. sacramenta. C. si advers. vendit. l. 6. §. fin. ff. de acquir.
heredit.*

TH. XXVIII.

Nam ad *l. 1. ff. quod met. caus.* Respondendum esse vi-
detur, eam non loqui de obligatione, sed de irritifactione.
Dicit enim Prætor: ratum non habebō; quod verbum ha-
bebo indicat tempus futurum, & idem est, ac si dixisset: me-
tu gestum vel promissum sic gerentem sive promittentem de
jure quidem tenet & obligat; quia verò æquitas, quam Præ-
tor maximè ob oculos habere debet, aliquem cum alterius
C damno



damno & jactura locupletari prohibet, hunc contractum irritum esse volo, ita ut metum inferens, licet actionem habeat contra promittentem, nihil tamen ex ea consequatur, cum nemo ex delicto sentire debeat lucrum.

TH. XXIX.

Ad l. 2. ff. quod met. caus. Respondet Zoësius ad b. t. n. 5. Eam ultra metum etiam dolum & calliditatem includere ejus, qui aliquem in carcerem injecit, hunc in finem, ut aliquid ab injecto acciperet. Vel: Eam legem non velle, ut ipso jure obligatio non valeat, sed ut non valeat quoad effectum, h. e. non debeat ex illo contractu conventus condemnari, per *l. 5. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Idem Respondet *n. 7. ad l. 14. §. 3.* ubi dicitur: metum habere in se ignorantiam: Dicit enim legem hanc non loqui de ignorantia actus, quasi sc. contrahens planè ignoret, quid actum sit; sed hic agi de ignorantia ejus, qui metum intulit, h. e. ignorat contrahens metum inferentem, id quod expressa hujus legis verba evincunt.

TH. XXX.

L. 14. §. 13. quod spectat, dicit illa, eum, qui metum fecit, & de dolo teneri, quia vis & metus sine dolo non inferuntur; jam autem b. f. contractus dolo initus, & cui dolo causam dedit, ipso jure est nullus *l. 2. §. 3. ff. pro soc. & Habn. ad Wesenb. t. de dolo malo n. 1.* quamvis Wesenb. *n. c.* contrarium asserat. Ratio hujus nullitatis est consensus absoluti absentia: licet enim sic promittens consentiat in contractum, facit tamen hoc quasi conditionaliter; quia sibi persuasit, se benè contrahere, nullumque dolum huic contractui inesse, & si alterum dolosè esse acturum, scivisset, certè contractum hunc non comprobasset; nemo enim suum dilapidare præsumitur, *l. 25. ff. de probat.* Sed hoc dubium forsitan tolli poterit, si distingvam inter dolum occultum & manifestum. Et verum quidem est, contractum dolo initum de jure esse nul-

nullum, si loquamur de dolo occulto; secus si de manifesto, qualis manifestus dolus semper cum metu est conjunctus, de quo verba hujus legis videntur esse intelligenda: scit enim contrahens, hinc dolum inesse, sequē nihil lucri ex hoc contractu percipere, sed potius ingens damnum incurrere, adeoque sciens ac volens læditur. Huc referri potest *l. 2. §. 8. ff. de vi bonorum raptorum.*

TH. XXXI.

Ad *l. 1. C. de rescind. vendit.* respondetur, eam non loqui de obligatione, sed de ejus effectu, quod ostendunt verba seqq. ubi dicit Imper. Alex. Augustus Præses provinciæ auctoritatem suam interponet. Porro *L. 116. ff. de R. J.* intelligitur de consensu libero. Deniq; quod attinet *Auth. sacramenta. C. si advers. vend.* Dd. circa eam interq; eos Gail. *lib. 2. obs. 42. n. 4. & 5.* distinguunt inter juramenta præstita super rebus factisve illicitis, sive lege prohibitis; & inter juramenta facta de re licitâ, nulloque jure prohibitâ; Et de illis, non verò de his in d. auth. sermo esse videtur. De quo juramento an & in quantum obliget jurantem, infra dicturus sum. Restat adhuc *l. 6. §. fin. ff. de acquir. hered.* resolvenda: Ad quam cum Zæzio ad *t. quod met. caus. num. 6.* Respondeo, ibi non solum metum facere aditionem irritam, sed simul etiam animum adeundi deesse, id quod indicat verbum fallens.

TH. XXXII.

Atque sic me satis probasse puto, ex promissione metu extortâ promittentem obligari ad præstandum id, quod promisit; observatâ tamen distinctione inter res licitas & illicitas, de his enim, illicitis scilicet, nulla obligatio de jure valida est vel subsistit Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 11. §. 8.* De rebus itaque licitis legeque non prohibitis hanc meam assertionem volo intelligi. Sed quia Prætori iniquum visum fuit, ut

aliquis ex tali contractu & promissione condemnaretur, §. 1. *J. de Except. ne sc. quis ex dolo suo sentiat commodum & lucrum*, ideò succurrit per metum contrahentibus, dicens: se hunc contractum nolle ratum habere. *l. 1. ff. quod met. caus. vel nolle eum habere aliquem effectum, ex quo condemnatur promittens*. Tenetur itaque is, cui promittitur, promittentem liberare à promissione, si promissor velit. *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 11. §. 7.* & potest hoc promittens experiri exceptione quod metus causa, §. 1. *J. de Except. quâ oppositâ rescinditur contractus & pronunciatur pro nullo*, id quod etiam iudex ex officio facere potest, *Struv. Exerc. 8. tb. 15.*

THES. XXXIII.

Neque tamen omnis metus sufficit ad hoc, ut contractus metu initus rescindatur, proque irrito declaretur; sed

I. requiritur ad hoc I. ut metus injustè sit illatus; nam is, qui *Qualis metus requiratur.* justè infertur, (qualis est, qui infertur à Magistratu justam ob causam,) non pertinet ad hoc edictum, *l. 3. §. 1. quod met. caus.*

THES. XXXIV.

II. II. Requiritur, ut sit atrox *l. ult. §. 1. ff. d. t.* qui definitur, quod sit mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causâ. *l. 1. d. t.* Periculum autem debet esse majoris mali *l. 5. eod.* diciturque metus atrox, *l. 3. §. 1. eod.* qui etiam in constantissimum virum cadere potest, *l. 6. eod.* Qualis metus est mortis, verberum, *l. 3. §. 1. in fin. servitutis*, & quæ aliàs morti æquiparantur *l. 4. eod.* Huc etiam refer vincula vel carcerem, videlicet illicitum & privatum, *Wesenb. b. t. n. 3.* Addunt etiam Dd. metum amissionis bonorum, *Zoef. ad t. quod met. caus. num. 15.* *Struv. Exerc. 8. tb. 12.* Sed huc non pertinet metus infamiæ. *l. 7. pr. d. t.* Ob stare videtur *l. 8. §. 2. eod.* ubi dicitur, edicto prætoris esse locum, si quis aliquid det, ne stuprum patiatur; additurq; ratio hæc: quod videlicet viris bonis

nis & honestis iste metus major , quàm mortis esse debeat; Adeoq; metus iste propter infamiam fieri videtur. Sed Respondetur: Neminem ex solo infamiæ metu posse restitui ex hoc edicto *d. l. 7. In d. autem l. 8. §. 2.* non metus saltem infamiæ adest, sed etiam metus criminis admittendi; ipse enim peccato se exponere videtur, qui stuprum patitur, si hoc pecuniâ possit avertere. Ratio autem , quare metus infamiæ non sit justus & sufficiens, videtur esse hæc: quia aliquem infamiâ notare , non est in alicujus privati hominis potestate. Excluditur etiam metus reverentialis , dummodò non immodicus & atrox atque talis sit, ut etiam in constantissimum virum cadere possit *Wesenb. ad t. ff. quod met. caus. n. 3. & Dd. communiter. Idem probatur per l. 22. ff. de ritu nupt.* Etsi non desint, qui putant quemlibet etiam actum metu reverentiali gestum esse rescindendum; Quod verò videtur falsum, adeoque solùm ad reverentiam nimiam , quæ cum violentiâ quadam conjuncta est, restringendum.

THES. XXXV.

III. Requiritur ut metus sit præsens , nec enim sufficit suspicio ejus inferendi *l. 9. pr. d. t.* videtur autem hoc requisitum obstare definitioni , quando videlicet definitur, quod sit mentis trepidatio instantis vel futuri periculi causâ. Sed Respondeo cum *Duar. c. 1. Donel. 15. comment. 38.* distinguendo inter metum & periculum, quod metuitur. Et metus quidem semper debet esse præsens, sive debet aliquid factum esse, propter quod metu quis afficitur; sed non requiritur, ut periculum etiam sit præsens , quia sufficit id tale esse, ut ingruere possit , quam distinctionem ipsa *l. 9. d. t.* approbare videtur.

III.

THES. XXXVI.

IV. Ut non sit luforius sive vanus, h. e. ut possit vel soleat is, qui minatur, aliàs exequi ea, quæ minatus est. *Struv.*

IV.

C 3

Exerc.



Exerc. 8. th. 13. Neque enim ex parte subjecti metuentis, quod timidissimum sapè esse solet, metus hic judicari debet. Et hæc dicta sunt de nudâ promissione vel contractu imperfecto, *l. 9. §. 3. ff. quod met. caus.* quando scilicet promissionem solutio vel numeratio nondum est secuta.

THES. XXXVII.

Quæritur nunc, quid juris, si solutum sit id, quod quis metu coactus promisit, vel ad quod in Chirographo per vim extorto se obligavit? Respondetur ex *l. nostra 2. C. de his, quæ vi metus v.* solventem non posse in integrum, tanquam vim passum restitui; Ratio, quia non est verisimile ad solutionem quempiam properare, omisâ querelâ de Chirographo per vim extorto; sed hoc limitatur, nisi & in solvendo vim sit passus, *dict. l. 2.* tutus namque esset actione quod metus causâ. Loquitur itaque hæc nostra lex, uti ex verbis ultimis; *nisi & in solvendo vim te passum dicas*, patet, de solutione spontaneâ, cum videlicet quis alicui nemine cogente solverit, quod ex justo aliquo metu promiserat. Unde Dd. communiter faciunt Regulam: Quod metus, tempore promissionis adhibitus, purgetur per solutionem subsequentem spontaneam, idq; propter promissoris rati habitionem & approbationem ejus, quod prius absque vitio non erat gestum, *per l. nostram & c. 1. in f. x. de his quæ vi met. caus.* Gail. lib. 2. obs. 93. num. 29. Jacob. Menoch. *de presumpt. lib. 3. presunt. 126. num. ult. & consil. 1. num. 297. lib. 1.* Metus autem purgatus videtur, quando solutio fit ex intervallo, & causa metus non amplius durat, Brunnem. *ad l. 2. C. de his quæ vi met.* Schard. *ad eund. t. n. 6. & Gail. lib. 2. obs. 93. n. 30.*

TH. XXXVIII.

Sed hîc dubium alicui oriri potest, an verum sit, quod per spontaneam solutionem metus vitium, in extorquendâ promissione contractum, purgetur? Etenim non omnes juris



ris interpretēs in interpretatione l. nostræ 2. conveniunt; Et quidem Irnerius huic legi hunc sensum affingit: quamvis verisimile non sit, scripturam vel Chirographum extortum fuisse ei per vim, qui promisit se soluturum pecuniam alteri, & non coactus postea eandem solvit, nullâ videlicet de vi querimoniâ ad Magistratum delatâ; tamen si ita solvens probet vim vel metum sibi illatum in cavendo & promittendo, locum fore repetitioni. Fundamentum, quo nititur, hoc esse videtur, quia præsumptio debet cedere veritati. *l. 30. §. 4. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. 29. in fin. ff. de probat.* Verùm sententiam hanc alii rejiciunt, huncque nostræ legis sensum esse volunt: sponte solventi, quod metu coactus se soluturum cautione datâ promiserat, non dari actionem, quod metus causâ, nec adversus solutionem factam ex edicto prætorio in integrum restitui, quamvis cautionem sive Chirographum metu sibi esse extortum satis probare possit. Et hæc sententia est à plurimis comprobata & recepta, videturque magis huic nostræ legi consentanea.

TH. XXXIX.

Rationem, quæ movit Imperatorem, ut sponte solventi pecuniam, quam coactus promiserat, restitutionem denegaverit in l. nostra. & non tam initium contractus, quod per metum adhibitum erat vitiosum, quàm finem, h. e. spontaneam solutionem, intueri voluerit, alii aliam tradunt: Plerique putant eam esse hanc, quod conditio sive repetitio denegetur, ubi turpitudine intervenerit ex parte tantum accipientis pecuniam, si eam promissor sponte & sine ulla coactione solvat. *l. 8. pr. ff. de condict. ob turp. vel injust. caus.* Et idem accidere putant in l. nostra; quia turpiter facit, qui metu alicui extorquet cautionem super pecuniâ indebitâ, ut proinde alter pecuniam solutam non possit repetere. Sed hi falluntur (i.) ideò, quia pecunia repeti potest, ubi turpitudine
soli-



solius accipientis, nulla verò solventis, (ut in lege nostra,)
versatur. *l. 1. §. 2. & l. 2. ff. de cond. ob turp. vel injust. caus. (2.)*
Quia *d. l. 8. d. t.* accipienda est de illo casu, ubi utriusque
tam accipientis, quàm solventis versatur turpitude, & tunc
cessat repetitio, uti probant ipsa verba hujus *l. finalia, & l. 3.*
eod. Addatur Donel. *ad d. l. 8. lib. 12. comment. c. 21. circa finem.*

TH. XL.

Alias rationes adducit gl. & primam quidem ex *l. 40. in
fin.* in quâ Pater solutum pro filio, quod contra Sctum Ma-
cedonianum filius accepit, non repetit, quia exceptioni,
quam hoc Sctum Macedonianum in odium creditoris sup-
peditavit, tacitè renunciâsse videtur; Idem putat esse in no-
stra lege; dicit enim, illi, qui metum passus est, competere
exceptionem odiosam; quâ omisâ si solverit, non posse e-
um repetere solutum. Sed Respondet Sichard. *ad l. 2. C. de
his quæ vi met. caus. n. 2. d. l. 40.* loqui de exceptione merè o-
diosâ, qualis non est exceptio metus: licet enim respectu
metum inferentis sit odiosa, est tamen merè favorabilis re-
spectu metum passi. Secundò dicit gl. absurdum esse, u-
nam & eandem solutionem (sponte sc. factam) parere & li-
berationem & repetitionem. *l. 34. §. ult. ff. de solut. Dd. per l.
32. §. 1. ff. de condict. indeb. l. 44. ff. de solut.* Sed hæ leges lo-
cum habent in ea solutione, quæ validam præsupponit obli-
gationem, ut nemo eadem solutione se liberare possit à cre-
ditore suo, & simul soluti repetitionem sibi parere; Quod
non potest dici de obligationibus, quibus causam & initium
vis vel metus præbuit, quasque Prætor non habet ratas. *l. 1. ff.
quod. met. caus.*

TH. XLI.

Purgatur igitur vitium metus præcedens per spon-
taneam solutionem subsequentem, quæ spontanea so-
lutio facit, ut non amplius exceptioni vel actioni quod
metus causâ locus sit: videtur enim sic solvens quasi no-
vâsse



vâsse obligationem præcedentem, quæ erat coacta, eamque approbâsse; cum ab initio vel ante solutionem in ipsius libera voluntate & arbitrio fuerit, vel non solvere, vel de cautione sibi per metum extortâ apud Magistratum conqueri; qua querela consecutus fuisset, ut per Prætoris edictum, cautio ipsi redderetur, & sic ipse ab obligatione liberaretur. *l. 9. §. pen. ff. quod met. caus.* Creditur etiam renunciâsse suo juri & actioni quod metus causa; adeoque meritò repellitur, si, quod liberè & sponte solvit, postea demùm condicere velit. Et hæc ratio placet Sichardo *ad l. 2. C. de his quæ vi met. n. 2. in fin.*

TH. XLII.

Objiciet verò hîc quis (1.) *ex l. 1. ff. quod met. caus.* Quod Quamvis in specie promissor non fuerit coactus ad solvendum, fuerit tamen coactus ad se obligandum, & quidem chirographo ad certam pecuniæ summam solvendam; quod sufficere videtur, ne, quòd vi vel metu gestum est, valeat, & consequenter, ut solutum repeti possit. (2.) *Ex l. 5. C. de LL.* Quod nullum pactum, nulla conventio, nullus denique contractus valeat, qui fit lege prohibente. (3.) Quod sponte solvens nummos, quos se daturum prius per metum obligaverat, per juris errorem solvere intelligatur; error autem juris non noceat, ubi de damno vitando agitur. *l. 8. ff. de juris & facti ignor.* Sed Resp. ad has objectiones: Verum quidem esse, quod sponte solvens id, quod per metum promisit, repetere possit, non tamen potest repetere actione quod metus causâ, quia metus non ducitur ad actum solutionis, sed retrò respicit actum promissionis, id quod expressa *l. nostra 2. C. de his quæ vi met.* verba volunt, quando dicit Imperator, se non perspicere, quomodo sponte solvens ut vim passus in integrum restitui possit, ubi non alias actiones, quibus cuique suum persequi licet, sed solam actionem quod metus

D

causa

causa excludere videtur. Cum itaque ex injusta causa pecunia sit apud eum, qui solventi Chirographum ab initio per vim extorsit, ideò dicendum est, pecuniam illam posse ab eodem repeti vel conditione ob turpem vel injustam causam *l. 7. ff. de condict. ob turp. vel injust. caus.* uti eam legem declarat Brunnem. *ad l. 2. C. de his que vi met. caus. juncta l. 6. eod. Facin. lib. 10. controu. c. 16.* vel conditione indebiti, Sichard. *ad l. 2. C. de his que vi met.* Et hoc ideò, ne cautionis extortor lucrum sentiat ex eo, quod contra LL. fecit, vel contra naturalem æquitatem cum damno alieno locupletetur, *l. 14. ff. de condict. indeb. Neg. obstat l. 9. §. 3. ff. quod met. caus.* Loquitur enim textus ille non de cautione tantum, sed etiam de solutione per metum extorta, quando videlicet solvens tam in promittendo, quam solvendo vim passus est. Sichard. *ad l. nostram 2. C. de his que vi met. n. 3.* Quamvis verò contractus initium inspiciatur regulariter, *l. 1. C. de impon. lucr. at. descript.* fit tamen illud tantum in illis contractibus, quorum principium & finis eandem habent rationem, quod non fit in nostræ legis casu.

TH. XLIII.

*Actio cui
datur.
Contra
quem.*

Certum itaque est, sponte solventi non dari actionem, quod metus causa, quæ tamen locum habet, uti ex ipsa *l. nostra* colligere licet, si etiam in solvendo vis sit adhibita. Et datur hæc actio ei, qui per metum solvit, adversus eum, qui metum intulit ejusque hæredes, quatenus scilicet ad eos pervenerit *l. 16. §. fin. l. 17. l. 19. ff. quod met. caus.* Etiam adversus eum, qui ex metu gesto aliquid accepit, licet ipse vim nullam intulerit *l. 9. §. 8. in fin. l. 14. §. 3. ff. d. t.* imò contra quemvis possessorem rei metu extortæ. *d. l. 14. §. 5. eod.* Obstat, quod actio quod metus causa sit ex delicto, *l. 16. §. 2. d. t.* Atqui actiones pœnales ex delicto non dantur adversus hæredem. *§. 1. l. de perpet. & temporal. act.* quia pœna suos saltem authores

res

res tenent. l. 1. §. 2. ff. de delict. priv. Resp. Actionem hanc in
haeredes ceterosque successores dari non in solidum, sed
quatenus ad eos pervenerit, h. e. quatenus ex ea re locuple-
tiores facti fuerint. l. 26. ff. de dol. mal.

TH. XLIV.

Datur autem ad id, quod metum passio abest, etiam
fructus l. 21. §. 2. l. 12. ff. quod met. caus. An etiam consumptos &
percipiendos restituere debeat possessor quaeritur, an saltem
extantes? Et Distinguendum est inter eum qui metum ipse
intulit, & inter illum, qui ab hoc metum inferente rem ac-
cepit. Ille, si ab eo petatur, debet restituere rem cum omni-
bus fructibus tam consumptis, quam percipiendis, h. e. quos
ex illa re metu solvens percipere potuisset, d. l. 12. d. t. quod
met. caus. Hic verò aut est conscius metus, aut planè me-
tum esse illatum ignorat. Si metus sit conscius, ad omnes
fructus tam consumptos, quam percipiendos, æquè ac ipse
metum inferens, tenetur restituendos, propter malam fi-
dem; quod si verò metum esse illatum nesciat, & sic bona-
fide emerit rem ab inferente, putans eum esse verum Domi-
num cum non esset, tunc saltem fructus reddit extantes, vel
etiam consumptos, quatenus videlicet ex iis factus est locu-
pletior. arg. l. 18. d. t. & Magnif. Dn. Struv. Exerc. 8. §. 20.

Ad quid
decur.

TH. XLV.

Itaque si reus, conventus, arbitrio & jussui judicis pa-
ruerit & acceptum restituerit, absolvitur §. 27. J. de act.
Quod si id non fecerit, condemnatur propter contumaciam
§. 31. J. de act. & quidem intra annum utilem. Sichard. ad l. 4.
C. de his qua vi met. n. 7. Brunnem. ad l. eand. §. 1. 14. §. 2. ff. quod
met. caus. in quadruplum §. 25. Inst. de act. l. 14. §. 1. 3. §. 4. ff. quod
met. caus. l. 4. C. de his qua vi met. Et hoc quadruplum non est
mera poena, sed res ipsa metu extorta hoc quadruplo conti-
netur, ita ut poena saltem sit triplum l. 14. §. 9. & 10. ff. quod
met.



met.caus. Quadruplatur autem omne, quodcunque restitui oportuit, quanti verè est, & quanti interest actoris, metum non passum esse *l.14. §.1.7. & 14. d. t.* æstimabitur autem restanti, quanti actor in litem juraverit *l.18. pr. ff. de dol. mal. & l.68. ff. de R.V.* Post annum verò condemnatur reus in simplex *d.l.4. C. de his quæ vi met. caus. & d.l.14. §.1. ff. quod met. caus.* Et quia reus non condemnatur ad hanc pœnam propter metum illatum, sed propter contumaciam, quia sc. Judicis jussui non obtemperavit, Sichard. *ad l.4. C. de his quæ vi met. n.6.* Schneidevv. *ad 25. Inst. de Action. n.56.* ideò eadem afficitur pœnâ bonæ fidei possessor, si nolit Judici obsequium in restituendâ illâ re præstare. *l.14. §.3. ff. quod met. caus.* Incipit autem tempus statutum currere à tempore moræ, eo sc. tempore, quod datum est reo à Judice ad restituendum, præterlapso. Sichard. *ad d.l.4. n.7.* Quæ sententia ei, quam Wesenbec. *ad t. quod met. caus. n.8. pr.* defendit, præferenda esse videtur, ubi illud currere putat à tempore illatæ violentiæ.

TH. XLVI.

Quis casum præstat?

Dixi, rem debere restitui cum fructibus; Quid igitur dicendum erit, si res perierit, teneturne nihilominus is, apud quem illa periit, ad illius æstimationem? Et distinguunt Dd. inter ipsum metum inferentem, & inter bonæ fidei possessorem: item an res perierit ante sententiam & litem contestatam, an post eam; Et tandem concludunt, quod metum inferens teneatur siue lis contestata sit, siue non; siue res peritura fuerit apud Dominum ante ablationem, siue non *l.14. §.11. ff. quod met. caus.* Ratio est, quia hic ob delictum semper est in mora *l.1. §.39. l. pen. ff. de vi & vi arm. l.8. §.1. in fin. ff. de eondict. furtiv.* mora autem reo nocet, ut periculum rei præstare cogatur *l.23. ff. de V. O.* secus si perierit sine dolo malo apud alium, qui sc. non ipse metum intulit, is enim absolvitur,

tur, *l. 14. §. 5. ff. quod met. caus. l. 40. ff. de hered. petit. l. 16. pr. ff. de R. V.* Etenim omnis obligatio tollitur rei interitu, qui sine debitoris culpâ contigit *l. 5. ff. de reb. cred. nisi post sententiam res perierit; ubi tamen iterum distinguitur, an intra tempora judicati, an verò post ea perierit; si post ea, uterque, (quicumque sc. ex illis convenitur) tam inferens metum, quam is, qui ab inferente bona fide accepit, periculum vel casum præstat, nihilque interest, sive illa peritura fuisset apud verum Dominum, sive non; propter moram, quam non restituens causatur; si verò intra hæc tempora pereat, tunc maximè refert, an apud Dominum peritura fuisset, an non priori casu uterque liberatur, quia hoc casu ei nihil potest imputari, sine cujus culpâ res perit; nec metus fuit in causa, ut magis periret apud reum, quam peritura fuisset apud Dominum. *arg. l. 29. §. 1. ff. de V. O. & l. 72. §. 1. ff. de solut.* Posteriori autem casu, quando videlicet apud Dominum res non fuisset peritura, reus, h. e. qui metum intulit, non liberatur, quamvis judicati tempus adhuc duret. *l. 14. §. 11. prope fin. quoniam hoc casu reus videtur esse in culpâ, ut Dominus damnum patiatur: potuisset enim rem, nisi metu ipsi esset ablata, vendere, & sic pretium ex ea accipere. Add. Magnif. Dn. Struv. Exerc. 8. tb. 21. Secus verò est in bon. fidei possessore.**

TH. XLVII.

Quæritur hic, si juraverit promissor, (loquor autem de eo, qui vi vel metu inductus promisit) se esse soluturum; vel se non repetiturum, quod solvit, neque absolutionem ab hoc jurejurando petiturum, an illud juramentum eum obliget, ita ut ipsi non liceat ab eo recedere, solutumque repetere? Quæ quæstio magni certè est momenti, & tam inter Theologos, quam Jctos agitur. Ut itaque in tam ardua tamque periculosa materia cautiùs procedam, distinguo illam quæstionem in tria membra & (1.) quæro, an quod

quis jurato promissit, solvere teneatur? (2.) An possit illud repetere contra jusjurandum? (3.) An eo non obstante possit absolutionem petere? Ad quæ singula seorsim erit respondendum.

TH. XLVIII.

*An jurare
liceat.*

Priusquam verò hoc fiat, præmitto illam quæstionem, an jurare liceat? Frustrà enim de effectu quæritur, ubi deficit causa. Dico itaque si jurare est prohibitum, tunc prohibitum id erit aut ab hominibus, in legibus scilicet positivis humanis sive civilibus, aut à Deo, scilicet in lege Divina. De illis res est expedita, quod nempe juramentum de jure civili non sit prohibitum, sed permissum; imò quandoque ipsa lex alicui defert juramentum, & sic eum jurare jubet *l. 34. §. 6. ff. de jurejur.* ubi expressè dicit Prator: Eum, à quo jusjurandum petetur, solvere aut jurare cogam. Sed hoc, quod dixi, de jure civili juramenta esse permissa, non intelligendum est de omnibus in genere juramentis, sive ea licita sint, sive illicita & temeraria, sed saltem de licitis, & quæ fiunt urgente necessitate: Quamvis enim hoc jus nullam pœnam, (quantum mihi constat,) in temerè jurantes statuerit, ideò tamen non illicò dicendum est, id comprobare temeraria juramenta: Commisit enim vindictam & ultionem Deo *l. 2. C. de reb. cred. & jurejur.* An verò etiam de jure Divino jurare liceat? non omni caret dubio: Et videtur dicendum quod non, (1.) quia Christus omnia juramenta prohibet *Matth. 5. vers. 34. & seq. & in Epist. Jacob. cap. 5. vers. 12.* (2.) Quia id, quod est à malo, videtur esse illicitum, sed juramentum est à malo. *Matth. 5. vers. 37.* Sed his scripturæ locis non obstantibus contrarium defendunt Theologiæ Dd. suamque sententiam probant ex *Deut. cap. 6. vers. 13. & cap. 10. vers. 20.* & quamvis hic locus imaginem potiùs permissionis præ se ferat, quàm præceptionis, est tamen ista vera permissio

sio

fio tanquam rei licitæ, ac si Deus dixisset, non simpliciter jurare te jubeo, sed ubi necessitas id efflagitaverit, non jurabis per falsos Deos, sed per me. Imò ipse Christus præcepit juramenta *Exod. 22. vers. 11.* Accedit, quod in N. T. suam doctrinam juramento sæpè confirmet *Job. 8. vers. 51. Es. 45. vers. 23. Gen. 22. vers. 16.* quod sanè non fecisset, si jurare illicitum fuisset, *vid. Kromaier. in Theolog. sua posit. polem. artic. 13. §. 7. de Lege. pag. 743.*

TH. XLIX.

Ad object. itaque (1.) respondet Augustinus *lib. de mendacio cap. 15.* dicens: Verba illa, ne jurate omninò, intelligenda esse ita, ut non jurent absque urgente necessitate, ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, & ex facilitate ad consuetudinem, atque ex consuetudine perjurium committatur. *Can. 3. caus. 22. quest. 1.* Damnavit itaque Christus, ut & Jacobus in locis oppositis juramenta temeraria, quæ nullâ necessitate, sed ex merâ facilitate & levitate fiunt, & in quibus DEI nomen ad res penè quasvis, non sine illius profanatione, temerè usurpatur. Ad (2.) respondetur etiam in hoc dicto Christum esse locutum de juramento temerario, vel etiam: illum respexisse ad causam, quæ est vel præstans juramentum, vel deferens, sive is, cui juratur; quasi ita dicere vellet: Quamvis juramentum licitè & urgente necessitate præstitum non sit malum, fit tamen malum, quando proficiscitur ex malâ causâ, hoc est, ab incredulitate & infirmitate ejus, cui juratur; & tunc non est malum respectu jurantis, sed respectu deferentis. *Can. 2. & can. 6. caus. 22. quest. 1.* nisi res, de quâ juratur, sit nullius momenti, nec multum intersit deferentis, an hoc sciat, vel non; vel quando proficiscitur ex cupiditate & delectatione, vel etiam consuetudine jurandi, tunc enim est malum respectu jurantis.

Adde-



TH. L.

Forma & modus jurandi varius.

De consuetudine Germaniæ.

Jurisjurandi vis & effectus.

Addere hîc possem formam & modum jurisjurandi, qui pro diversitate populorum variat; Græci enim jurabant per caput alterius, Schrev. è Briffon. *ad lib. 4. Æn. vers. 357.* item per terram, fontes, amnes fluentes, Alexius. Scythæ per Regium folium Herodot. *l. 4. Jac. Pont. in bell. att. pagin. 135.* Iidem etiam jurabant per ventum, quasi auctorem vitæ; & acinacem, tanquam causam mortis, ut ex Luciano in Toxat. refert Jac. Pont. *in bell. Att. pag. 435.* Cappadoces per montem Alex. Persæ per Mithram, hoc est, solem. Alex. *lib. 5. c. 3.* Sed cum hæc omnia ad scopum meum parum spectent, illis diu immorari nolo, per pauca tamen de consuetudine Germaniæ adjiciam. Jurant autem hi per Deum & ejus Evangelium, quod juramentum etiam jus divinum permittit *Deuter. 6. vers. 13. & cap. 10. vers. 20.* quo ipso Deus consuetudinem jurandi per creaturas perque falsos Deos damnat. Jus quoque Canonicum hos jurantes pœna afficit *Can. 9. & 16. caus. 22. quest. 1.* Ulpianus juramentum religionis publicè improbatæ non valere, sed haberi pro non jurato dicit *in l. 5. §. 3. ff. de jurejur.* Graviter etiam peccat, qui alicui juramentum, quo se suaque Diabolo consecrat, defert *d. can. 16. caus. 22. quest. 1.*

TH. LI.

Sequitur nunc vis & effectus jurisjurandi; cum autem juramentum in genere sit duplex, assertorium nempe & promissorium, & duæ hæc species non habeant unum finem; cum illud respiciat veritatem alicujus rei vel facti, hoc verò obligationem personæ; ideò nec utriusque unus idemque potest esse effectus. Sed quia nihil mihi jam est commercii cum assertorio, neque omnia juramenta, vel omnes juramentorum species hîc describere placet, ideò illo prætermissio me illicò conféro ad promissorium, quando videlicet
quis

quis jurato alicui aliquid promittit. Et circa hoc in ejus effectu inquiri: An scilicet obliget promittentem ad præstandum hoc, quod promissit? Resp. distinguendo inter juramentum factum de re licita, & illud, quod de re illicita est præstitum. Item, an quod promissum est, sit possibile, an impossibile? Juramentum de re illicita vel impossibili neminem obligare manifestum est Grot. *de I. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 6. & 8.* sive de impossibilitate Physica, sive morali sit sermo; Peccat tamen quis, si juramento se ad hujusmodi actum sciens adstringat. Quod verò attinet juramentum de re licita & possibili; omnes Theologi & Juri unanimitè concludunt, illud obligare jurantem non solum in foro externo, sed & interno, in foro scilicet conscientia, quia Deum, quæ fallere est nefas, testem invocavit; & hoc procedit, si juramenta tam à parte deferentis, quàm præstantis sint licita.

TH. LII.

Sed quid (ut ad scopum redeam) si juretur quidem super re licita, juramentum tamen illegitimo modo deferatur, puta, si vi extorqueatur? Et quamvis non omnes circa hanc quæstionem idem sentiant, (quorum sententias & opiniones hîc recensere neque mei est instituti, neque temporis ratio fert,) puto tamen ei satisfieri posse ex supra dictis, distinctione nempe adhibita inter res licitas sive legibus approbatas; & illicitas sive legibus reprobatas. Et siquidem juramenta de rebus licitis sunt præstita, puto ea jurantem omninò obligare, cum hac tamen limitatione, nisi à juramenti nexibus absolvatur; quæ absolutio est necessaria ad vitandam perjurii pœnam. Et hæc est communis non tantum Canonistarum & aliorum Dd. sententia, teste Covarruvia & Seraphino de Seraphinis, citatis à Fachin. *lib. 8. controu. cap. 102.* sed etiam Theologorum Lutheranorum. Probaturque hæc sententia (1.) ex secundo decalogi præcepto.

E

(2)ex



(2.) ex *Psal. 15. vers. 4.* ubi hominis pii Deumque timentis hæc exprimitur nota, quod juramentum præstitum servet, factoque comprobet. Accedit quod quisque suæ rei moderator ac arbiter sit *l. 21. C. mandati.* & unicuique liceat pro arbitrio de suis bonis disponere, quod est verum, nisi quis natura aut lege prohibeatur. Idem dicitur de jure canonico quod dixi, *cap. 8. & cap. 15. extrav. de jurejur.* Eandem sententiam fovisse videntur Scholastici & alii Pontificii Theologi, dum duplicem ex jurejurando putârunt oriri obligationem; unam quâ promissor Deo obligatur, alteram quâ homini, vid. Grot. *de I. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 14.* Quamvis itaque in nostro casu nihil juris consequatur extorquens ex juramento, & ita nulla valida obligatio in foro externo nascatur ex hoc juramento, obligatur tamen jurans Deo, in foro interno sive conscientiæ, à quâ obligatione non liberatur, nisi impetratâ prius absolutione.

TH. LIII.

Ex his patet, quid responderi possit ad objectiones à nonnullis prolatas: quando videlicet dicunt: Juramentum non debere esse vinculum iniquitatis ex *cap. 18. & cap. 25. x. de jurejur.* Item: jusjurandum contra bonos mores præstitum non esse obligatorium. *cap. 58. de R. I. in 6.* Distinguentium nempe hîc est inter objecta jurisjurandi, an scilicet sint licita, an illicita: non enim hi textus sunt intelligendi de iniquitate & malis moribus contrahentis; sed de iniquitate objecti sive rei, super qua juratur, & quod dicitur contra bonos mores præstitum, idem est, ac super re illicita, jureque prohibita. Quod porro opponunt Auth. Sacramenta puberum *C. si adv. vend.* & ita de jure civili tali vitioso (scilicet ex parte deferentis) juramento nullum robur competere putant, respondet Fachin. *lib. 8. controuv. cap. 102.* hæc jura, civile nempe & canonicum, facili negotio posse con-

conciliari, si videlicet distinguatur inter forum externum, & internum sive conscientiae. Et putat *d. Auth. sacramenta. C. si adv. vend.* intelligendam esse de foro externo, quod scilicet in eo nemo cogi debeat ad solvendum id, quod vi metuve coactus quis se soluturum juravit. *C. verò 18. & cap. 25. x. de jurejur.* esse intelligenda de foro interno sive conscientiae, quo absolutio necessaria est ei, qui contra juramentum vult venire.

TH. LIV.

Ordo nunc tangit secundum & tertium membrum, quo quaerebatur: An is, qui solvit, simulque juravit, se solutum neque repetiturum, neque absolutionem à juramento petiturum, eo juramento non obstante absolutionem illam petere queat? Et respondet Ludovicus Romanus *in consil. 326. in pr. & aliquot n. seqq.* ad tertium membrum: Quod tale juramentum obliget jurantem, quodque perjurus fiat, qui contravenire, hoc est, absolutionem petere velit. Idem sentit Joh. Petr. *de ferrar. in pract. sua* in forma juramenti, quod praestatur à parte parti §. *juramentum veritatis. num. 5.* Cautela autem illa non habet locum, quam adjicit praelaudatus Ludov. Rom. *loc. cit. num. 1. & 4. ex cap. 25. in fin. x. de jurejur.* ut scilicet qui juravit, hoc Ecclesiae denunciet, quae perseverantem in delicto compellere debeat, ut ab hoc malo desistat, & poenitentiam agat; & putat Hostiens. *in d. cap. 25. x. de jurejur.* denunciationem illam debere fieri eo colore, quod denuncians non tam sollicitus sit de amittendis bonis, quam de salute aeternâ proximi periclitante. Et quamvis multi multae eruditionis magnaeque auctoritatis viri hanc sententiam calculo suo approbaverint, adducti per *d. cap. 25. extra. de jurejur. in fin. & cap. 6. eod.* Cujacius tamen ad *d. cap. 6. extra. de jurejur.* in contrariam partem descendit, inquiring: Qui lusus hic est? quae



derisio Dei? Et hæc Cujacii sententia, nempe jurantem non posse petere absolutionem à jurejurando per vim extorto, neque viâ rectâ, neque obliquâ, placet. Idem dicendum est de membro secundo.

TH. LV.

Et hîc finem impono huic meo labori, optarem ut Tibi, benevole lector, tuæque expectationi ex asse satisfacere, & hoc opusculum exactius elaborare valuisssem; cum verò gravitas & difficultas materiæ vires ingenii, (quod ingenuè fateor) superaverit, hisce, quod spero magnopereque rogo, vives contentus, omniaque in meliorem rapies partem. Deo interim gratias persolvo debitas pro præstito suo auxilio; adspiret ille porrò studiis meis, & faxit, ut hæc vergant in ipsius nominis gloriam, & proximi utilitatem.

SIT GLORIA DEO.



Ad



AD promissa ligat quodsi
promissio? Quidni,
Quæ Tibi promisit, fer-
vet amica Themis.

*Ita de egregio hoc specimine tuo, Eximie
Dn. Mecken/ amice dilecte be-
nè ominatur*

Johan. Christoph. Galdner/
J. U. D. Prof. Publ.

Quid sit Chirographum, mon-
stras. Euge! Ipse ego pono
Chirographum: Themidos Stel-
la corusca clues.

*Boni ominis, & faustæ adgratulat. ergò scrib.
Nobiliss. Dn. Meccio, inquilino & convi-
tori meo amicissimo,*

Caspar Posner, P. P.

E 3

Qui

Qui de Chirographis bene disse-
ris, ardua tentans,

Quid **TIBI** non voveat nostra
Thalia boni?

Det **TIBI** chirographum Virtus, fe-
liciter arcem

Ut **THEMIDOS** scandas, sidera
celsa petens.

STRENUA Chirographum **TIBI**
det, sic scilicet: in **TE**
Barbariem invisam juris habere
nihil.

Dent **TIBI** Chirographum Parcae,
quò Nestoris æques
Rite dies. Votum fata benigna ve-
lint.

*Nobilissimi DN. RESPONENTIS pulchro conatui & non
vulgaribus profectibus toto affectu adplausit,
prosperrima quaq; precatus.*

VALENTINUS Belthem/
Moral. P.P. Ord.

Di-

Dignum laude virum Musa vetat
mori. Horat.

Viderat in cathedra T'E nuper
noster Apollo, &
Scandere cum doctis pulpita docta
viris.

Attentâ Musæ Salanæ protinus
aure.

Excepere Theseis, scriptaque do-
cta TUA.

Siccine in angusto gestis prodire
Theatro

Cum doctis, docta & sistere scripta
TUIS.

Hinc magnum expectat clarissima
Patria Civem,

Qui civeis possit ritè docere suos.

Cum

*Cum doctis scribis; cum doctis disse-
ris, IPSE*

*Cum doctis vives arte, librisq; TUIS.
Hoc TIBI multorum specimen, feret
usque favorem,
Patronosq; feret, propitiosq; Pa-
tres.*

*Non hæc dente malus rodet chiro-
grapha livor,
Scripta sed hæc famæ scrinia,
TEq; tegent.*

Exigua hæc in perpetuæ benevolentiae
ac memoriæ abituri Commen-
sali Nobiliss. Dn. *Auctori* debi-
tæ documentum gratulabundi ad-
jiciebant Ejusdem

Ad mensam POSNERIANAM

CONVICTORES.







ULB Halle
003 358 763

3



(f) Sb.

WNA





23 1673,9 32.
L. D. B. V.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
CHIROGRAPHO,

Præcipuè verò Eo, quod per vim
extortum esse dicitur.

Ad L. 2. C. de his qua vi metusve causa gesta sunt

Quam

Benevolo Magnifici Jctorum Ordinis indultu

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

DN. JOH. CHRISTOPHORO

Falckner / J. U. D. & Prof. Publ. in hac Salana

celeberrimo, Consiliario Saxonico, Curia
Provincialis, Scabinatûs & Facultatis

Juridicæ Assessore gravissimo,

Domino, Patrono, Promotore ac Præceptore suo omni ho-

noris & observantia cultu atatem prosequendo,

Publico Eruditorum examini submittit

BODO HENRICUS *Niecken*/

Osteroda-Grubenhagiacus

AUCTOR.

Ad diem Febr. M DC. LXXIII.

JENÆ,

Typis JOHANNIS NISI.

